UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Schola Canonica Seu Universum Jus Canonicum Nova Methodo Digestum

Continens Librum Tertium Decretalium. Librum Quartum Decretalium. Librum Quintum Decretalium.

Sannig, Bernhard

Nürnberg, Anno MDCXCII.

C. II. Variæ Resolutiones circa Privilegia

urn:nbn:de:hbz:466:1-98793

Visual Library

modis acquiruntur. *Primò*, actuali concessione Principis privilegiantis certam aliquam personam, communitatem, vel locum. *Secundò* per communicationem, quando videlicet Princeps Privilegium uni concessum, etiam extendit ad alterum. Hôc modô Summus Pontifex Clemens VII. Privilegia concessa variis Religionibus, communicavit quoque & extendit ad tres Ordines S. Francisci; ùt videre est in Bulla 2. ejusdem. *Tertiò* acquiritur Privilegium consuetudine, vel præscriptione, præsertim illâ, cujus principium excedit memoriam hominum, quæ communiter ipsi Privilegio æquiparatur; uti constat ex text. & DD. in *cap. Novit, de judic.* Et in *cap Super quibusdam, de V. S.* Circa amissionem Privilegii

7. Nota sextò: pluribus modis amittitur, & interit Privilegium. *Primò* per interitum vel personæ privilegiatæ, *cap. 7. hoc tit.* Vel per interitum rei privilegiatæ; ùt habet Engel. Si tamen domus v.g. privilegiata per ruinam, vel bellum, vel alium casum corruat, conservantur ejus Privilegia, & revivíscunt, si denuò reficiatur, *L. æ de sacra ff. de contrah. empt.* Per mortem autem concedentis Privilegium non amittitur: nam gratia semel obtenta non cessat per mortem concedentis, *cap. Si super gratia, de offic. deleg.* in 6. *Secundò*, amittitur Privilegium per lapsum temporis, ad quod fuit restrictum; vel cessationem conditionis, cui fuit subjectum. Primum habetur *cap. 4. de Offic. deleg.* Secundum patet; quia conditio continet in se tempus, quâ proinde cessante, censetur & Privilegium cessare. *Tertiò* amittitur per abusum privilegiati; nimirum is occasione Privilegii delinquat; v.g. si quis spe immunitatis in Ecclesia committat crimen, *cap. ult. de immun. Eccles.* Et *can. ubi dist. 74.*

8. Nota septimo: Præterea *quartò*, amittitur Privilegium cessante causâ finali ejus, quæ est causa principalis concessionis talis Privilegii, à qua ita dependet tum in fieri tum in còservari ut eâ cessante & ipsum cessare oporteat; cùm tunc careat fundamentô, *cap. cessante, de appell.* *Quintò*, si Privilegium incipiat cedere in grave aliorum, vel communitatis detrimentum, censetur cessare; vel saltèm revocari potest per sententiam concedentis, *cap. Suggestum, de decim.* Et *cap. penult. de Cler. non resi.* *Sextò* quoque cessat Privilegium per renunciationem expressam ejusdem; id est voluntariam abdicationem Juris sibi concessi: nam quivis potest renunciare favori pro se introducto, *L. pen. C. de pact.* Quod intelligendum est, si Privilegium personalem favorem contineat; non verò si communem alicujus corporis, vel publicum Ordinis Religiosi, vel Clericalis; nam tali privata persona privilegiata renunciare nequit, v. g. Privilegio Fori, & Canonis, in favorem totius Ordinis Clericalis introducto, *cap. Si diligenti, de foro comp.* Et *cap. Contingit de sent. ex commun.*

9. Nota octavò: rursùs amittitur Privilegium *septimò* per renunciationem tacitam; quæ Juris interpretatione censetur fieri per non usum Privilegii; vel per usum contrarium; uti tenent communiter DD. Sed altercantur inter se de tempore, & numero actuum; quantum scilicet tempus, & quot actus requirantur, ut censeatur Privilegium interire per non usum, vel contrarium usum: quæ altercatio oritur ex varietate textuum utriusq; Juris. Probabiliorem censeo opinionem Glossæ dicentis in *cap. Accedentibus hoc tit.* quod Privilegia perdantur eodem tempore, quô præscribitur contra Jus commune; nam cùm Privilegium sit quædam lex privata, conveniátque cum Jure communi Ecclesiastico in causa efficiente, materiali, & etiam formali majori ex parte; meritò sentiendum est, ut cum eodem etiam conveniat in tempore sui interitus, puta vel 30. vel 40. annorum; vel immemorabili tempore, juxta varias opiniones. Quoad numerum actuum contrarii usûs dici potest, quod Privilegium semel receptum, & usitatum censeatur per usum contrarium amitti tunc, si per annos 40. actus tali Privilegio contrarii continuetur, quo tempore præscribitur contra Legem Ecclesiasticam aliquando in usu positam. Privilegium verò nunquam in usum positum perdatur, si per 10. annos actus ipsi contrarii ponantur, quo tempore præscribitur contra Legem Ecclesiasticam, nunquam usu receptam.

CAP. II.

Variæ Resolutiones circa Privilegia.

1. Dico primô: ad valorem, & effectum Privilegii non requiritur necessariò, ut sit scriptum; sed sufficit voluntas Principis sufficienter declarata vivæ vocis oraculô, vel alter, quòd is Privile-

gium tale concedat. Ita Glossa, Azor. Sylvest. &c. Et constat ex *can. institutionis 7. caus. 25. q. 2.* Et Clement. *Dudum 2. §. nos etenim &c.* Et *Extrav. ult post. initium.* Expediens tamen est, ut Privilegium scriptô conficiatur, ad ejusdem majorem firmitatem & probationem, *can. cit.* Et jam Stylus Curiæ Romanæ obtinuit, & habetur in Regulis Cancellariæ Apostolicæ, quòd Gratiæ omnes per literas expediri debeant; & ante earum ejusmodi expeditionem vocentur *informes*; ac nulli suffragentur dispensationes in judicio, vel extra, antequam super iis Literæ Apostolicæ sint confectæ.

2. Dico secundò: omnis, & solus ille potest concedere Privilegium, qui pollet potestate legislativa; cujusmodi sunt Summus Pontifex, Imperator, Reges, & Supremi Principes; item etiam Prælati Papâ inferiores pro sua ditione, & contra Leges à se conditas, vel indifferentes; non verò contra Jus commune. Ita Sylv. Suar. & communis DD. Ratio est; quia Privilegium est quædam Lex privata: adeóque omnis, & solus ille potest tale concedere, qui pollet potestate legislativâ.

3. Dico tertiò: Privilegia concessa contra Jus commune stricte sunt interpretanda, & potiùs restringenda; quàm extendenda: similiter si cedant in præjudicium tertii: si autem sint concessa ultra Jus commune, & meram gratiam contineant, latè sunt intrepretanda. Ita Glossa, Pirh. &c. Primum patet ex illa Regula 15. Juris in 6. *Odia sunt restringenda.* Et alia 28. *ibid.* Et ex *cap. Cùm dilectus* 8. & ibi Glossa ver. *Juri communi, de consuet.* Estque Ratio; quia sicut bonum commune est præferendum bono particulari; ita & Jus commune Juri particulari, quale est Privilegium quando agitur de ejus interpretatione. Ratio secundi est; quia Princeps privilegians non censetur velle alteri auferre suum Jus; nisi id clarè exprimat; quare meritò Privilegium cum præjudicio tertii datum, strictè interpretandum est. Tertium constat ex illa Regula 15. Juris in 6. *favores convenit ampliare.* Et ex *cap. Olim 16. de V. S.* ubi dicitur, quòd *beneficia Principum sint interpretanda latissimè.* Regulas autem speciales ritè interpretandi Privilegia vide *tom. 1. hujus oper. in prol. tit. 4. cap. 1. & 2. positas.* Et apud Sylv,

4. Dico quartò: in Privilegio personali nequit fieri ulla extensio de persona Privilegiata ad aliam in Privilegio non expressam; nec de casu in casum; vel de actu in actum. Ita Glossa, Holtiens. & cæteri Doctores. Et constat ex *cap. Sane 9. hoc tit.* Estque Ratio; quia quòd uni singillatim conceditur, non statim omnibus convenit *can. hinc. est 39. caus. 23. q. 1.* Et quia Privilegium est Jus singulare, & sequitur personam, ac cum eadem extinguitur, *cap. Privilegium, 7. de R. J. in 6.* Et procedit dicta doctrina, quòd Privilegium non possit extendi ad personas, loca, & actus, etsi adsit similitudo rationis; uti habet Suar. Cùm Privilegi efficacia non consistat omnino in ratione; sed & voluntate Principis.

5. Dico quintò: quando Privilegia renovantur, vel confirmantur in forma communi, nihil Juris novi per hoc acquiritur privilegiato: quando verò renovantur ex certa scientia, scilicet cum perfecta notitia illius, & tenoris ejus, ac omnium circumstantiarum, tunc novum jus acquiritur privilegiato, ita ut ex illo capite fiat validum; adeóque Privilegium etiam amissum revocetur in pristinum statum. Ita Barbos. Suar. Pirh. &c. Primum habetur *cap. Quia intentionis 8. hoc tit.* Ratio secundi est; quia renovatio facta ex certa scientia habet vim novæ concessionis.

6. Nota primò: si contingat instrumentum Privilegii deperdi, & propterea petatur ejus renovatio; tunc priùs ea probanda sunt; primò quòd illud instrumentum Privilegii aliquando extiterit; Secundò, quòd talis fuerit ejus tenor, qualis fuisse asseritur à privilegiato: tertiò quod idem instrumentum caruerit omni vitio *cap. Cùm olim 12. hoc tit.* Et stante petitione de obtinenda renovatione dicti Privilegii, potest pars adversa, cujus interest, se opponere, & impedire renovationem ejusdem Privilegii, si probetur Jus suo, *cit. cap. 12.*

7. Dico sextò: Privilegium tunc demum sortitur suum effectum, ac Jus confert privilegiato, postquam ad ejus notitiam pervenerit, & ipse illud acceperit, saltèm per Procuratorem, vel equipollens. Ita Glossa, Laym. &c. Et constat ex *cap. 2. §. ex parte de concess. præb. in 6.* Et ex *cap. Si tibi 17. eod.*

8. Dico septimò: nullus privilegiatus obligatur ad usum sui Privilegii; sed potest illi renunciare. Ita communis DD. Et constat ex *cap. si de terra 6. in fine hujus tit.* ut

tit. ubi habentur ſequentia ad propoſitum, *cùm liberum ſit unicuique ſuo Juri renunciare.* Eſtque Ratio; quia quod conceſſum eſt in favorem, non debet in ejus cedere gravamen, uti habet *Reg. 61. de reg. Jur. in 6.*

9. Dico octavò: ex eo, quod aliquæ Eccleſiæ ſolvant Papæ annuum cenſum, non probatur ſufficienter Privilegium exemptionis earundem à jurisdictione Ordinarii; niſi appareat quòd talem cenſum ſolvant in ſignum immediatæ ſubjectionis ac perceptæ libertatis. Ita Abbas, Gloſſa, &c. Et conſtat ex *cap. Recepimus 8. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia ſolutio cenſûs annui poteſt etiam ſignificare alia, quàm exemptionem à jurisdictione Ordinarii, puta ſpecialem protectionem Papalem, absque ulla exemptione à jurisdictione Ordinarii.

10. Dico nonò: ſimiliter Privilegium à Papa conceſſum alicui monaſterio, ut fructus Eccleſiæ ſibi ſubjectæ in ſuos uſus poſſit convertere, non probat illam Eccleſiam eſſe exemptam à Jurisdictione Ordinarii. Ita communis DD. Et habetur *cap. Paſtoralis 19. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia Papa concedendo aliquod Privilegium non cenſetur velle derogare Juri Ordinariorum; niſi id exprimat, uti liquet ex *cit. cap. 19.* Et quia Papalia Privilegia ſemper cenſentur eſſe conceſſa absque gravamine tertii; uti notat Gloſſa.

11. Dico decimò: qui per Privilegium Apoſtolicum eſt exemptus à jurisdictione Ordinarii reſpectu unius loci, v. g. Capellæ Regiæ; non cenſetur eſſe exemptus reſpectu alterius, v. g. Parochiæ, quam ab Ordinario habet. Ita communis DD. Et habetur *cap. cum Capella 16. hoc tit.*

12. Dico undecimò: ſi contingat aliquod Monaſterium obtinere à Papa Privilegium exemptionis ab Ordinario, non propterea cenſentur etiam exemptæ Capellæ ipſi ſubjectæ; niſi ſpecialiter hoc exprimatur in Privilegio. Ita communis DD. Et ſtatuitur in *cap. Ex ore 17. hoc tit.* Quare Epiſcopus in ejusmodi Capellis retinet omnia Jura Epiſcopalia, enumerata *cap. conquerente 16. de Offic. Jud. Ordin.*

13. Dico duodecimò: exemptâ tamen per Privilegium Papale aliquâ Eccleſiâ collegiatâ, vel conventuali, cenſentur etiam exempti Canonici, Monachi & alii Miniſtri; & à fortiori ipſe Abbas, ſeu Prælatus Eccleſiæ. Ita communis DD. Et ſtatuitur *cap. Per exemptionem 9. hoc tit.* Et *arg. can. Scire 7. cauſ. 7. q. 1.*

14. Dico decimotertiò: perſonæ per Papalia Privilegia exemptæ à jurisdictione Ordinariorum, poſſunt nihilominus ratione delicti, contractûs, aut rei, de qua contra ipſos agitur, conveniri coram iisdem Ordinariis, ſi delictum ſit factum, vel contractus celebratus in loco non exempto; & res litigioſa non ſit exempta: perſonæ verò exemptæ per Privilegia Apoſtolica ſpecialia etiam ratione delicti commiſſi, contractûs initi, aut rei ſitæ extra locum exemptum, cujusmodi ſunt plerique Regulares, nequeunt conveniri coram Ordinariis. Ita Gloſſa Fagn. &c. Primum conſtat ex *cap. Volentes.* Secundum patet; quia aliàs tale Privilegium ſpeciale exemptionis nihil operaretur.

15. Dico decimoquartò; poteſt quis duplici Privilegio exemptionis, uno ſcilicet Papali, altero Epiſcopali uti ad ſe defendendum. Ita Gloſſa, & communis DD. Et conſtat ex *cap. Cùm olim 14. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia nemo prohibetur pluribus defenſionibus uti, juxta *reg. Juris 20. in 6.*

16. Dico decimoquintò: Si quis Epiſcopus concedat alicui Monaſterio Privilegium immunitatis à ſolvendis decimis, ſimpliciter, & indefinitè remittendo Decimas Epiſcopales, id eſt Quartam Canonicam, de Jure communi aliàs ſolvendam Epiſcopo ex decimis inferiorum Eccleſiarum, intelligitur tale Privilegium comprehendere remiſſionem non ſolùm præſentium & præteritarum; ſed & futurarum; & extenditur quoque ad Decimas prædiorum poſtea emendorum. Ita Gloſſa Barboſ. &c. Et conſtat ex *cap. Quia circa 22. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia diſpoſitio indefinita æquipollet univerſali *can. 1. diſt. 19.* Et *L. Si ſervitus 23. de ſervit. urb. præd.*

17. Dico decimo ſextò: Regulares aliqui, qui interdicto cauſam non dederunt, habent Privilegium in una Eccleſia illius loci, qui interdicto generali ſubjacet, ſemel in anno celebrandi Divina: excluſis excommunicatis & interdictis; idem quoque cenſetur conceſſum Epiſcopis. Ita communis DD. Primum conſtat ex *cap. Ut Privilegia 24. hoc tit.* Secundum ſtatutum eſt *cap. Nonnullis 25. hoc tit.* Et Divinis memoratorum Privilegiatorum tunc intereſſe non poſſunt extranei; niſi & hi ſpeciale Privilegium haberent, quòd

poſſint

possint audire Divina in locis interdictis, *cap. Licet.* 11. *hoc tit. in 6.* Bene tamen familiares dictorum Privilegiatorum, si Privilegium ipsis concessum, fuerit speciale, *cit. cap.* 11.

18. Dico decimo septimò: quando aliqui Regulares obtinent Privilegium tempore interdicti generalis liberè sepeliendi suos Fratres, id quoque extenditur ad illos Confratres, qui Fraternitati eorum fuerunt adscripti, & oblati Ordini, ita ut per habitum aliquomodo distinguantur ab habitu sæcularium; licèt adhuc in domo sæculari morentur. Ita Glossa &c. Et habetur *cap. Ut Privilegia* 24. *hoc tit.*

19. Dico decimo octavò: Privilegium celebrandi super altare portatile habent Episcopus, Archi-Episcopus, & his superiores; item Minores, & Prædicatores ubique: ac demum Jesuitæ in Missionibus. Primum habetur in *cap. Quoniam* 12. *& ult. hoc tit in 6.* Secundum extat in *cap. In his* 30. *hoc tit.* Quod Privilegium non esse revocatum per Tridentinum ostendit Rodriqu. Brugn. &c. saltem non contradicente Episcopo, ut notat Portel. Et de hoc vide, quæ dico *tom.* 3. *Scholæ Theologicæ tract. de Sacram. dist.* 5. *q.* 6. Tertium patet ex Brevi Apostolico, concesso Societati JESU à Gregorio XIII. edito An. 1569. die 1. Octob. uti refert Pirhing.

20. Nota secundò: in *hoc tit.* præterea afferri diversa Privilegia, concessa variis personis: sic *primò* studentibus in studio generali Romanæ Curiæ conceduntur omnia Privilegia, immunitates & libertates, quibus gaudent studentes in aliis Universitatibus; ita ut si Clerici sint, integrè percipiant fructus suorum beneficiorum, ac si in eis residerent, *cap. Cum de diversis* 2. *hoc tit. in 6. Secundò* Patriarchis quatuor principalium Sedium Patriarchalium datur Privilegium, quòd quascunque alias Sedes post Romanam præcedant; & inter se primum locum obtinet Patriarcha Constantinopolitanus; secundum Alexandrinus; tertium Antiochenus; quartum Jerosolymitanus. Item quòd iidem suis Suffraganeis dare possint Pallium, recipientes pro se ac Romana Ecclesia juramentum fidelitatis, obedientiæ ac reverentiæ. Item quòd ubique terrarum possint sibi curare præferri Crucem; præterquam Romæ; & si Papa, vel ejus Legatus à latere adesset. Item quod ad eos ab Archi-Episcopis possit appellari, *cap. Antiqua* 23. *hoc tit. Tertiò:* Archi-Episcopis pariter concetur Privilegium, quòd & ipsi in cunctis locis suæ Provinciæ sibi possint curare præferri Crucem; populo benedicere Divina Officia publice, vel privatim audire, & ea etiam in Pontificalibus celebrare cum pallio, & facere in sua presentia celebrari, absque licentia Prælati localis, etiam exempti, *cap. Archi-Episcopo.* Et Clement. 2. *hoc tit.* Quæ Prælatis Episcopis inferioribus ut Abbatibus potest à Papa concedi Privilegium usûs mitræ, ac aliorum Pontificalium nec non potestas benedicendi solemne populum dicendo, *sit nomen Domini benedictum &c.* uti constat ex *cap. ut Apostolicæ 6. hoc tit. in 6.* Et *cap. Abbates eod.*

CAP. III.

De Excessibus Privilegiatorum.

1. NOta primò: per excessum Privilegiatorum hìc intelligi abusum Privilegiorum; qui Jure Canonico est prohibitus: quia sicut Privilegia concessa non debent ab aliquo violari, *cap. Quando 26. hoc tit.* Nec malignâ interpretatione ita restringi, ut evadant privilegia planè inutilia *cap. In his* 30. *hoc tit.* Et pariter ipsi Privilegiati non debent pravâ interpretatione sua Privilegia concedentis in præjudicium alterius extendere & producere; aut sub eorum prætextu aliqua operari, quæ fieri prohibentur; uti notat Vallens. & communiter alii DD. hìc. Et si simile quid agant, excedere dicuntur; quod variè contingere potest. Unde

2. Dico primò: censetur excessus & abusus Privilegii, si Religiosus sub prætextu Privilegii, Laico vel Clerico non subdito sinè licentia Parochi ministret Extremam Unctionem, vel Eucharistiam per modum Viatici; vel Matrimonio assistat. Ita communis DD. Et habetur in Clement. *Religiosi* 1. *hoc tit.* Possunt tamen Religiosi Extremam Unctionem & Viaticum circa ullum excessum ministrare suis familiaribus, seu domesticis, ut Clem. *§. fin.*

3. Nota secundò: reputatur hìc quoque pro excessu, si Privilegiati Religiosi sepeliant excommunicatos in suos Cœmeteriis, *cap. Ad hæc* 5. *hoc tit.* Item in